



VITVS RIEDLINVS VLMENSIS
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR,
PHYSICVS AVGVSTANVS.

D. VITI RIEDLINI,
Ulmensis,
Physici Augustani atq; Academici Curiosi,


ITER MEDICUM,
Sanitatis recuperandæ
causâ non solùm institutum,
Sed &
feliciter DEI gratiâ finitum;
Cujus occasione
tum morbus Auctoris, & quæ circa eundem contigerunt,
tum plura alia curiosa & utilia communicantur.

Cui annectuntur
GEORGII RIEDLINI,
Quem Auctor Avum habuit,
OBSERVATIONES
Chirurgicæ rariores.


Augustæ Vindelicorum,
Apud LAURENTIUM KRONIGERUM,
& Hæredes THEOPHILI GOEBELII,
Typis Abrahami Guggeri. 1702.

DEO
T. O. M.

UNICO ATQUE BE-
NIGNISSIMO SOSPI-
TATORI
S.



BENEVOLE LECTOR!



Medico, & ut ſibi ipſi medicaretur, inſtitutum, quodq; plura medica ſuggeſſit Iter, hoc quoq; nomine commode inſigniri potuiſſe, nullus quidem dubito; qui quotidianis laboribus aſſuetus hoſce nec in itinere, nec ſub balnei uſu omnino ſepoſui, & dum, quæ quotidie notatu digna obſervavi, in chartam conjeci, præſens inde enatus eſt Tractatus.

In quo ſi quædam minus Tibi arriſerint, minusq; polita videantur, in Itinere verſantem, nec ſemper integra gaudentem ſanitate ſcriptorem facile excuſabis.


Invenies tamen in paucis hiſce paginis, quæ mentem recreabunt, quæ, niſi

hîc detegerentur, perpetuo ſilentij peplo involuta manſiſſent, quæ in morbis quibuſdam curandis Te non parum juvare poterunt, quæ cauſas horum magis detegent; quæ ad ſententias quasdam adhuc controverſas dirimendas aliquid conferent, & quæ ſunt plura alia, quæ hoc Iter non prorſus fruſtra evulgatum fuiſſe, nec uſu ſuo carere, teſtabuntur.

Curarum mearum medicarum integer millenarius interea jam ſic ad finem perductus eſt, ut, quamprimum ſumtus ſuggerenti placuerit, in lucem edi poſſit; ſanitateq; Divinâ gratiâ recuperata ſic continuo labores meos quotidianos, ut plura olim quoq; promittere auſim, modò DEUS vitam prorogaverit, & in poſterum ſicut hactenus qualiacunque mea ſcripta bonivolum Lectoris experiantur judicium: quem nunc

Valere jubeo.

JOVA



JOVA JUVA!

OMnes equidem Creaturæ laudant Dominum; Et inter has præcipuè *Aqua* quoque, à qua quia omnia reliqua originem suam trahãt, eam nomen suum acquisivisse, tum dudum jam Philosophi quidam statuerunt, tum nuper quidam iterum acriter defenderunt; Helmontius præsertim, qui primus hanc derivationem mihi suggessit: Laudat verò Aqua Dominum, dum insignis ejusdem vis supra Cœlos conditur, nec tam gravitate suâ deorsum tendit, quàm locum à Creatore constitutum servat, teste omni exceptione majore, S. Scripturâ, cui omninò tutius fidem adhibemus, quàm in hujus rei possibilitatẽ multis inquirim9: Laudat Aqua Dominum, dum nisi

Aqua laudat Dominum.

Aquæ supracœlestes.

Aqua limites servans.

DEO jubente limites suos nusquam egreditur, sed eos tam exactè servat, ut, licèt variis in locis longè altior sit terra, eam tamen vix attingat, multoque minus inundet: Laudat DEUM Aqua perspicuitate, limpitudine atque claritate suâ, quâ & oculos adspicientium mirum quantum recreat; licetque sic color nullus eidem tribui possit, nonnullis tamen in locis & eodem egregio se commendat, qualis quidem elegans cœruleus est, quo Blavus fluvius juxta originem suam, Blaubiræ, oppido sesquimilliari ab Ulma, (ubi Danubio conjungitur dictus fluvius) distante conspicitur, ut alios nunc taceam; Laudat præsertim Aqua Dominum insignibus suis usibus, quibus tot tantisque pollet, ut eam tantum non quibusvis liquidis præferre, & hinc inter nobilissima referre Humida, eleganter doctus ille Theologus Ristius in peculiari Tractatu non dubitaverit; Ut enim jam vel verbo tangam

Aqua colore carens.

Aqua cœrulea.

Aqua nobilissimum humidū.

gam spiritualem illum usum, quod in S. Baptismo externum præstat medium, & aquâ mediante regeneramur; ut ferè sileam, innumeros illos usus, quos aqua comunis suppeditat, dum sitim præ aliis quibusvis potibus commodissimè sedat, cibis coquendis, sordibus extergendis, movendis molis, medicamentis plurimis parandis, & quæ sunt sexcenta alia, sic inservit, ut eadem vix ac ne vix quidem carere possemus: Medicas quoque non paucæ Aquæ possident vires tam egregias, tantasque, ut quibusvis aliis remediis frustra adhibitis hæ solæ multa millia hominum servarint, qui ante tempus in mortis prædam cessissent, nisi his mediantibus sanitatē pristinā recuperassent: Vel in sola nostra Germania scaturire ultra mille tales fontes medicatos, Varenius testis est, qui si vel plures numerasset, omninò fidem mereretur, cùm hinc inde præstantissimis instructi viribus inveniantur.

Aqua regeneramur.

Aqua communis plurimos habet usus.

Aquæ medicatæ.

Fontes medicati plus quàm mille in Germania scaturiunt.

niantur, quorum vix pauciores incolæ illius loci, ubi ſcaturiunt, notitiam quandam habent. Et ad hæc quidem præfanda, quæ in me ipſo præſtiterunt, dum partim expertus fui, partim experior, & feriatus ab aliis conſuetis laboribus, quæ tempore morbi mei, & uſus balnei Rötelenſis contigerint, deſcribere aggredior, me impulerunt; Faxit DEUS T.O.M.! ut in Ejusdem gloriam, & proximi ſalutem, quæ ſic commentor, cedant!

Auctoris morbus.

Sanus atque incolumis mihi ipſi haud abs re DEI gratiâ videbar, cùm die 24. Junij Anni hujus Seculi primi, iter quoddam ad ægrum quendam hoſpitem inſtituiſſem, & in via quidem pluvia pedes nimium humectaſſet, nullum tamen aliud incommodum attuliſſet; at ea ipſa veſpera ira utut juſta accenſum, huic tamen nimium me indulſiſſe, uti lubens fateor, ita ut DEUS hunc tam noxium affectum indies me magis refrenare

Ira noxius affectus.

doceat,

doceat, ardentissimis exopto precibus; quæ quidem illico nullam noxam induxisse visa fuit, at causam procatarcticam extitisse eorum malorum, quæ sequenti die 28. memorati mensis subitò supervenêre, mihi quidem nullum est dubium; licèt enim hoc ipso die horis matutinis tam alacriter laboribus meis præfuerim, ac olim unquam, licèt in prandio cibos eo quo olim appetitu ingesserim, subitò tamen horâ vespertinâ ferè quintâ me minus benè habere cœpi, expalluere manus, stupor quidam reliquas partes occupavit, quem frigusculum quoddam, & hoc calor non tam sanguinis motum mutans, quam partes quasi perurens excipiebat: accedebat nimium urinæ (quam jam per aliquot hebdomadas in ea, quâ olim quantitate me non reddidisse notaveram,) profluvium, & tantum, ut illâ adhuc vesperâ, & hanc sequente nocte (quam inquietam valdè duxi) sexies plus

urinæ excreverim, quam quidem potus & liquidi ingessi, ut adeò quædam Diabetis suspicio suborta fuerit; & ut Coral. rubr. præp. bis sumserim, hoc ipsum symptoma me permovit, nec diutius hoc, quam per modò memoratum tempus institit: Verum enim verò jam magis me incommodarunt calores suprà descripti, appetitus prorsus prostratus, lassitudo tanta tamque dolens, ut vix extra lectũ subsistere potuerim, & somnus continuis insomniis interruptus; quæ jam febris cujusdam, & quidem (quia plures hoc anno hoc modo invaserat,) malignæ metum injecerunt, utut pulsus debito potius debilior, quàm celerior hunc quodam̃odo diluerit; pulverem autem nihilominus alexipharmacum bis sumsi, & post alteram dosin sudori vacavi, qui levamen quoddam attulisse, videbatur; excrevi verò post eundem urinam, [quæ hactenus naturali colore conspicua fuerat,] tam

Diabetis quædam principia.

Febris malignæ suspicio.

tinctam,

tinctam, tamque turbatam simul, ut si febris dicta subsit, hanc exitiosam mihi futuram, statim prædixerim; at de ipsa febri semper magis dubitare cœpi, hincque Uxorem de faciei colore interrogavi, quem cùm flavum retulisset, & manus accuratius inspicienti eundem induisse, mihi quoq; pateret, de bile sede suâ mota, sanguinique confusa, & hinc omnes has turbas movente nullum ulterius superfuit dubium: In marte itaque illicò opem quæsivi, & illo adhuc die Specifici illius Cachectici, quod ab Auctore suo præclaro Ludovici nomen hactenus apud nos retinuit, drachmam dimidiam bis sumsi, quod tamen notatu dignum levamen vix attulit; unde jam de bilis subtractione cogitavi, & dictum modò Specificum diagr. maritatum sequenti die deglutivi, quod aliquot blandiores sedes movit, & singula symptomata demitigavit, nisi quod color flavus jã omnes penè corporis partes magis defœ-

Icteri principia.

Ludovici laudatur.

defœdârit; hinc verò jam huic tale remedium opponere, quod & sat citò, & tutò, quin radicitùs illud tolleret, mecum constitui, & in Acidulis, quæ Icterum sanabilem nunquam non curant, opem quæsivi; Egranas igitur, quæ viribus suis adhuc sat integræ ad nos Augustam deferuntur, elegi, probè quippe noscens, eas intestina citò transire, & hinc alvum aperiendo in iis latitantia vitia feliciter corrigere; harum itaque quantum minor lagena continet, statim primo mane exhausi, nec voto meo me destituit hic potus, bis terve n. alvum aperuit, jamq; flavus partium color quodammodo discutiebatur, & appetitus redibat, licèt sudorem parum solùm, urinam vero planè non moverit; continuavi verò nihilominus hujus potûs medicati usum, & quarto die, cùm minus clara videretur prima lagena, aliam quoq; evacuavi, unde alvus sæpius mota fuit, urina quoque in majori successit

Acidulæ Egranæ.

Acidulæ alvum solum moventes.

quan-

quantitate, & per triduum adhuc eadem quantitate acidularum continuata, tam benè me DEI gratiâ habere cœpi, ut in publicum iterum prodire potuerim; nisique insomnia per integram ferè noctem molesta extitissent, non habuissem, de quo quererer; sub continuato tamen Martiatorum usu hæc quoque evanitura, sperans, laboribus meis sicut prius præfui; at remisere se quidem insomnia, sed successere iisdem dolores manuum pedumq; tam intensi, ut integras noctes (quibus inprimis me vexabant,) insomnes reddiderint; Cumque hi continuatis licèt sedulò martiatis, & hisce additis cinnabarinis nec minimum cederent, externè applicitis Spiritibus Lumb. terr. & Rorismar. exasperarentur potiùs, quàm imminuerentur, post quatuor tam infeliciter ductas noctes de balneo partes calefaciente, & residuam intimiusque partibus infixam bilem discutiente, simulque motum

Insomnia molesta.

Dolores artuum.

motum ſanguinis reſtituente cogitavi, & quemadmodum Dalſingenſe prope Ulmam ſcaturiens, quodque aliquoties in ſimili malo cuidam Cognatorum meorũ ſummè profuiſſe noveram, elegi, ita iter eo ſequenti ſtatim die inſtitui, quin aggreſſus fui; nec quicquam notatu digni primo die, qui erat decimus Menſis Julij, contigit, niſi quod Hoſpes pagi, in quo per noctem quievi, ſerius domum rediens, de laſſitudine jam per bene longum temporis ſpatium incommodante multis verbis conqueſtus fuerit, & hinc, ut remedium ſuggeram, petierit; at quia vino potius nimium ingeſto, quàm alij cauſæ hæc laſſitudo originem ſuam debebat, ejus exhalationibus diſcuſſis, ſic ceſſavit, ut ejusdem ſequenti die nec verbo quidem meminerit; quo ego iter meum continuavi, & cùm Günzburgi prandij ergò divertiſſem, ibi Hoſpes ſobrius ſequentia retulit: Se antè ſemeſtre, & quod

Balneum Dalſingenſe.

Iter inſtitutum.

Laſſitudo ebrij brevi ceſſans.

&c quod excurrit, habuisse Hospitem olim Uxoris suæ procum, qui mensæ adsidens se accedentem urserit, ut alaudam adhuc residuam comederit, hâc verò vix deglutitâ vertiginem sibi successisse cum tanta anxietate, ut quo se vertat, nescierit, quæ, vino postea cum eodem amico poto, tantum augmentum sumserit, ut & per aliquod temporis spatium mente privatus fuerit, quâ tamen sic sat brevi redeunte, tam malè se habuerit, ut animam suam devotis precibus Creatori commendârit, & balneatoris cujusdam præsentis consilium expetierit; qui, ut in lectum se conferat, suaserit, cujus consilio obtemperaverit, simulque Theriacam olim à quodam Secretario dono datam sumserit; Unde quidem sequenti mane sic sat benè se habuerit, & ad labores suos consuetos redierit: Verum enimverò, ab illo tempore, narrando pergebat, Vertiginem hanc sæpiùs redire, eique nescio qualem

Alaudâ comestâ sequentia mala.

Vertigo.

succedere anxietatem, semper pondus quoddam circa præcordia molestum se persentire, minus alacrem ac olim ad labores esse, calorem faciei vividum in pallidum mutari, & toto corpore se decrescere; Quoniam verò purgans forte à Medico suo ordinario præscriptum nec vomitum nec alvum moverit, & hinc eò minùs profuerit, ut ego salubre suggeram consilium, ardenter petiit; nec defui ejusdem petito, sed malum à reliquiis cibi cum nausea & suspicione ingesti in primis viis adhuc hærentibus derivans, hincque vomitorio ipsum omninò opus habere judicans ex Antim. Diaph. scrupulo dimidio, & Tart. Emet. gr. iij. constantem pulverem præscripsi, huicque præmisso usum Essent. Martis, ei, quæ è floribus Hyperici elicitur, maritatam subjungere jussi.

Vomitorium cur præscriptum?

Continuato hinc itinere bonis avibus Ulmæ appuli, ibique prima mea cura fuit, ut Dalfingæ cubiculum

Balneum Dalfing.

lum locetur, quem in finem dilectus ex Sorore Nepos illicò eo se contulit, at brevi rediens, intra mensem ferè demum hæc balnea calefieri retulit, quod ego quidem non parum miratus, cùm tempus hoc maximè opportunum existat, & ut de alio cogitarim, coactus fui; Commodè autem in mentem venit Balneum illud propè Geislingam scaturiens Rötelense, hincque illo adhuc die de auriga, qui me vehat Geislingam, solicitus fui, & die 12. Julij summo mane iter meum eò institui, & 5. horarum spatio, DEO benedicente, feliciter absolvi: In via interrogatus auriga, num plures feræ in sylvis ibi crassioribus & spissis capiantur? in hac quidem regione, quia quamprimum una vel conspiciatur, neci detur, tam multas non reperiri; at cùm nuper per Ducatum Würtembergicum iter instituerit, sibi relatum fuisse, pestem quandam grassari inter feras, præcipuè Cervos, adeò, ut

tempore maximè opportuno non calefit.

Balneum Rötelense Dalfingensi substitutum.

Ferarum pestis.

 singu-

ſingulis diebus 10. quin plures mortui reperiantur, reſpōdit: Ferinā itaq; nunc minus tutò comedi cùm regeſſiſſem, ut illicò feræ tales inventæ defodiantur Magiſtratum juſſiſſe, narravit, quæ ejusdem cura omnem omninò laudem meretur; an verò & hominum peſtis, à qua nonnulli ſibi metuunt, ſit ſucceſſura? certo determinare vix ullus audebit, cùm plurima beſtiis nocere poſſint hominibus planè innoxia, DEUS graviora quævis clementer avertat!

Geislingæ hinc DEI gratia appuli, ibiq; hoſpitem nactus fui virum humaniſſimum, juxta & egregiorum ſtudiorum amantiſſimum, Dn *Thomam Bunzium*, Conſulem loci digniſſimum; hic cùm ex me percepiſſet, dolorem artus occupantium ergo me Balneum in uſum ducere velle, retulit, ſe ante plures annos, cùm vix novendecim annorum Juvenis Uxorem duxiſſet, in Arthritidem incidiſſe, perque decem ferè annos

Arthritis absque recidiva.

annos eâdem tortum fuiſſe, & huic præter alia medicamenta hoc quoq; balneum oppoſuiſſe, inde verò ſic DEI gratiâ ſe ſanatum fuiſſe, ut elapſis ab illo tempore licèt pluribus, quàm triginta annis, ab hoc tamen malo intereà planè immunis degat, quod, cùm aliàs plerumque hoc malum tam diu præſertim inſtans ſæpiùs redeat, inter notatu digna referendum eſſe, judicavit, & ſanè rariùs quis ſic in totum ab arthritide liberatur: At ſi in principio ſtatim remedia convenientia generoſiora opponantur, ſi errores, qui illud produxerunt, vitentur, reditio ejusdem omnino impediri poteſt, ſi præſertim malum non tam hæreditariū, quàm alio modo contractum exiſtit; narravit hic ipſe Hoſpes, quod hiſce diebus morte præproperâ & inopinâ abrepta fuerit Virgo quædam ; quem caſum, quia poſtmodùm loci Phyſicus experientiſſimus *Dn. Licentiatus* **Jägerſchmid** pluribus recenſuit,

Arthritis ne redeat, quomodo impediatur?

Purgans tempore mensiū summâ cum noxâ sumtum.

hîc repetere placet: Saniſſima exiſtens hæc Virgo tributum lunare conſueto quidem tempore ſolvebat, at hâc vice cum dolore capitis aliàs vix moleſto, petit hinc locum quendam hora ab oppido diſtantem, dolorem ſic diſſipatum iri, ſperans; at domum redeuntem idem dolor incommodat, ſurgit hinc ſequenti die de lecto quidem, at poſt meridiem coram patre conqueritur, tantum invaleſcere dolorem, ut ſe in lectum conferre opus habeat; accedit hic propterea Pharmacopœum vicinum, qui Pilulas Francofurtenſes eidem ſuggerit, quæ ſumtæ parum profuêre, unde ſequenti die purgans eidem exhibet, quod ſex vomitus & duodecim ſedes movit, hincq; circa veſperam eam de virium defectu queſtam fuiſſe, nemo mirabitur; at his paulatim collectis clamare quoque cœpit, totque alia emotæ mentis ſigna edere, ut omnino phreneticis annumerari potuerit, redit hinc Pater ad Phar-

Pharmacopœum, & quid nunc facto sit opus? anxiè quærit; suggerit is opiatum medicamentum, quod ad votum somnum inducit; ex quo evigilans Virgo miratur tot adstantes, & de rebus gestis certior reddita, earum se planè immemorem testatur, jamque sic se habet, ut quævis mala devicta esse speraverint; erat tamen, uti post purgantia inprimis fortiora sumta solet, alvus obstructa, unde ut reseraretur folicitæ ex Pharmacopœi consilio Clyster nunc applicatus fuit, at resuscitans is particulas peccantes non tam correctas quàm sopitas, prius malum reproduxit, & quidem tantâ cum vehementiâ, ut jam Medicus etiam vocatus fuerit, is tamen eam in tam desperato statu constitutam invenerit, ut non nisi exitum tristem & letalem prædicere potuerit, qui & subsecutus fuit: In utero nempe latitantes particulæ vitiosæ, & tales, quales aliàs malum hystericum producere solent, pur-

Clyster phrenitidem reproducens.

gante non tam evacuatæ aut correctæ, quàm exaltatæ quasi & magis motæ fuerunt, unde caput petentes illud non potuere non perturbare, &post opium convenientioribus medicamentis in usum non ductis, clystere non potuit non prius malum excitari: Quam parum tuto vero purgantia fluentibus mensibus exhibeantur, sicut hæc observatio docet, ita Pharmacopœorum consilia non semper salubria existere, eadem confirmat.

Balneŏ utentes in eod. edentes & bibentes.

Die 13. dicti aliquoties mensis, cùm prius opem Divinam invocassem, primo balneum ingressus fui, & hoc quidem aliquot alios utentes inveni, at simul edentes, atque tum aquam medicatam (quam omnino non posse nocere persuasi sunt) tum vinum bibētes; quod nō posse nō obesse sanitati, indicavi; sed hoc modo plerosq;, qui balneo utuntur, vivere, responderunt; quin postmodum Hospes meus me certiorem reddidit, olim

olim plures balneum ebrios egressos fuisse; at sanè si hisce minus profuerit, non tam in balneo, quàm perversa hac diæta causam quærant.

Placebat tamen, quòd plerique eorum naribus Rosas obvertebant, quæ quippe non solùm odore suo grato recreant, sed & particulis, quas exhalant, spiritus reficiunt; at non omnibus æquè gratum esse hunc odorem, juxta me sedens quidam faber scriniarius, cùm quod mihi hic mos arrideat, palam protulissem, subjecit; Noster enim, cujus regimini Inclut. Magistrat. Ulm. oppidum credidit, Præfectus nobilissimus, è nobilissima Schadiorum familia oriundus, adeò non ferre potest harum odorem, ut &, si quis in sacco Rosam occultatā gerens eundem accesserit, inde malè se habeat; quod quidem in memoriam mihi revocavit, Höferum de Cardinali quodam similem planè historiam referre, talisque idiopathiæ hinc inde narratis histo-

Rosarum odorem ferre non potens.

riis & hanc, ut addatur, mereri judicavi.

Capitis dolori & febris albæ principiis oppositū balneū.

Balneo hoc quoque utebatur. Virgo quædam quindecim ferè annorum, quam de causa interrogavi, & hæc respondit, se jam per aliquod temporis spatium laborare dolore capitis sic sat molesto, simulque à febre alba non abs re sibi metuere, cùm hujus varios jam prodromos notârit, hincq; hoc balneum suadentibus quibusdam amicis se in usum ducere; nec ego dubitavi, hoc eidem prodesse posse, dum non solùm mensium fluxum promovere communiter creditur, sed & blando calore sanguinis motus impeditus, à quo dicta mala originem trahunt, restituitur; at cùm postmodùm & hanc diætam non servare, sed fraga præsertim in magna admodùm copia ingerere vidissem, & eam parum emolumenti ex hoc balneo sensuram, judicavi.

Notavi

Notavi interea in me ipſo , ſic ſat validè adſtringere balneum partes quasvis, & hinc tum Medico humaniter me viſitanti, referentique, ſe credere , cum croco martis adſtringentis convenientibus particulis imbutum eſſe hoc balneum , tum aliis, qui hoc bolo cuidam (cum plures boli martiati quid in ſe contineant) tribuunt, eo magis fidẽ adhibui: In me ipſo verò inſuper notavi, quòd quoties balneum egreſſus fui, partes, inprimisque manus flavo iterum colore obductæ fuêre, hincque judicavi, bilem intimius latitantem dolorum meorum cauſam extitiſſe, nec ſemper Icterum penitus curatum eſſe, ſi vel maximè color flavus ubique diſparuerit: Retulêre intereà loci incolæ , quod hæc aqua ſemper clara exiſtat, nec ulla tempeſtate, ſeu pluat, ſeu ningat, vel minimum turbetur, utut aëris quibusvis injuriis ſit expoſita.

Balneum Rötelenſe adſtringit.

Crocum martis vel bolum continet.

Balneum colorem Ictericum reproducens.

Aqua Rötelenſis ſemper clara.

Legi

Legi hoc die disputationem cujusdam Calvisii, de causis incrementi litterarii post barbara secula; inter quas uti merito societates Eruditorum refert, ita dum illam, quæ Leopoldina Naturæ Curiosorum nunc nominatur, Noribergæ sedem fixisse, memorat, minus accuratam de ead. notitiam suam prodit, dum illa nullam certam in Germaniæ certo quodam loco agnoscit sedem, sed sicut olim eidem Swinfurtum duos egregios Præsides largitum est, ita tertium non minus Illustrem Noriberga quidem dedit; at Augusta Vindelicorum nunc habet, quod de huic muneri summo suo merito præfecto Magnifico *Dn. Schrökio* sibi gratuletur.

Academia Naturæ Curiosorum sedem certam non habet.

Legi etiam Dissertationem Georgij Nicolai Serupij, quam sub titulo Triumphi Lithargyriatorum contra Dn. Jägerschmidium edidit; at optandum esset, ut eruditissimo Viro status controversiæ magis inotuisset, quod

Lithargyriata non omni prorsus

quod nempè non tam Vina acida, quæ tum plures in non ita exigua quantitate absq; ulla noxa biberunt, quam ea ipſa, quæ Lithargyrio adulterata fuiſſe, ſic ſat certo conſtitit, tam gravia poſt ſe traxerint mala; ſique vel maximè interdum & acida Vina tormina excitarunt, ea tamen nec adeò diu inſtiterunt, nec ita difficilia curatu extiterunt; ut adeò hîc Lithargyrium omni noxâ eximere velle, ſit, experientiæ plurium non levi experientiâ inſtructorum Virorum, qui talibus ægris ipſi adſtiterunt, contradicere. noxâ carent.

Die decimo quarto Julij iterum balneo bis uſus fui, nec notatu digni quid contigit, at illud mihi, DEO benedicente, profuturum, totus ſperare cœpi; dumque in illo juxta me ſedẽtes varios ſerunt ſermones, quidam etiam refert, nidum quem Ciconiæ jam per plures annos in Curia Geislingenſi poſuerant, ſponte corruiſſe, hincque non ſolùm ædes vicinas Ciconiarum nidi corruens.

nas læſas, ſed & unam ex illis juni-
oribus captam fuiſſe, tantumque ſo-
num edidiſſe hunc lapſum, ut in vici-
nia habitantes primo graviora metu-
erint: Narrat hinc adſidens quidam
incola loci, quòd hoc anno hîc ad-
ventans Ciconia fœmina ſtatim ova
poſuerit, hisque excludendis ſedulò
operam navarit, at acceſſiſſe alium
marem, qui jam præſenti nidum di-
ſputarit, & hinc aliquoties acrem
cum eodem pugnam inierit, adeò
quidem, ut & ova aliquando inde
perdita, & fœmina ſanguine hinc
inde conſperſa viſa fuerit, depulſus
tamen & peregrinus ille mas; unde
brevi poſt nova poſuerit ova fœmina,
& hæc feliciter quoque excluſerit,
tardius tamen ac aliàs, unde juniores
nondum avolaverint, quæ plerumq;
Feſto Petri & Pauli avolare ſoleant;
Mirabatur hic Vir, quòd tam citò
nova poſuerit ova Ciconia, cùm aliàs
grandiores aves ea tam ſæpè ponere
non ſoleant, & omnino, modò reve-

Ciconia brevi bis ova ponit.

Ciconiarum bellum.

rà ſe

ra se sic habeat res, inter rariora referri meretur, rogaturque Historiæ animalium Scriptores, ut & in harum circumstantiarum veritatem sedulo indagent, & quæ experientia docet, communicent.

De puella illa, quæ Crucibus insignita tum Ulmæ, tum Augustæ Vindelicorum plures Spectatores nacta fuit, ab Hospite interrogatus, quæ quidem ego novi, retuli; At qui semel solùm eam forte fortuna in via offendens videram, crucibus suis tum superbientẽ, tam rudes minusque accuratas eas, quas ego vidi, deprehendi, ut Divini quid in iisdem agnoscere, summa operum Divinorum perfectio minimè concedat; Si tam accurata ejusdem haberetur ratio, ac olim cujusdam puellæ, quæ diu se absque omni cibo potuque vivere finxit, Monaci, jussu Sororis Imperatoris Maximiliani I. fuit habita, forsan ratio harum crucium certior reddi posset.

Crucibus insignita puella.

Die

Alvi fluxus à balneo.

Die 15. Julij continuatum balneum, & ob sitim intensiorem in potum quoque adhibitum alvi fluxum tantum excitavit, ut prius & purgantia, & Acidulæ toties eandem nunquam moverint; licetque viribus quodammodo insidiatus sit, prodesse tamen nullus dubitavi, cùm multum admodum materiæ peccantis sic evacuatum fuerit; flavedo etiam partium huic major successit; balneum verò nihilominus continuavi, quod vires non tam magis insumpsit, quem quodammodo reddidit; nec alvi huic fluxui quicquam opposui, quam quod vinum rubrum bibi, quod egregiè suas exseruit vires.

Argentum in frumenti grano repertum.

Communicavit mihi hoc die humanissimus Hospes Relationes curiosas, Everh. Happelij, quibus ab ipso insertam schedulam, cui sequentia notatu dignissima verba inscripsit, inveni: Anno 1691. tempore Messis Althemij, quod pagus

est

est ditioni Ulmensi subjectus, spicam frumenti evulsit rusticus, & granum dentibus comminuit, cùm verò & aliud ori ingessisset, & itidem comminuere voluisset, illud durissimum deprehendit; dumque propterea hoc accuratius inspicitur, argentũ purum & finum fuisse, constat, pro quo Ulmam delato viginti crucigeros solvere nonnemo voluit; An in montibus in illa regione tam nobilia quoq; metalla delitescant, uti quidem de aliis nullum est dubium, de his verò ejuscemodi quid olim Virum quendam rerum naturalium peritissimum ariolatum fuisse, novi; An verò alio modo spicæ, hincque grano insertum fuerit? aliis dijudicandum relinquo.

Die 16. Julij in me quidem nil notatu digni occurrit, nisi quod sitis me æquè ac alios vexavit; primo verò nunc balneo usus fuit Juvenis quidam Geislingensis, qui jam per plures annos calculo vesciæ torquetur, Calculus sectionem non admittens.

tur, is retulit, quod jam ante biennium se sectioni subjicere voluerit, quam dum per eam, quam brevem viam vocant, instituere tentârit, calculumque nullo modo ad perinæum detrudere potuerit, eum esse vesicæ adnatum, & hinc frustra sectionem institui, judicaverit lithotomus; cui tamen an fides sit adhibenda? dubito, forsanq; per alteram longiorem licèt sat tutam tamen viam sectio non absque fructu institueretur: Dolores hic inprimis crescente Lunâ auctos notat, & balneum nostrum ante annum sibi non parvum attulisse levamentum, asseruit.

Calculi dolores crescente Lunâ aucti.

Asarum pro Hepatica habens.

Mentione herbarum quarundam coram Viro quodam harum rerum perito injecta, is narravit, quòd sibi ante paucas hebdomadas obviam fuerit factus Pharmacopœus, pro aliis peritiore se venditans, in sinu gerens herbam, quam hepaticam esse seriò asseruerit; at propius eandem

dem aſpectam non potuerit non pro Aſaro ipſemet agnoſcere; & hinc ſciolum hunc erroris ergo improbrare, qui verò nocte increbreſcente ſe excuſarit; at quanta noxa inferri potuiſſet ei, cui loco hepaticæ aſarum venditum fuiſſet, facilè ariolari potes, facilèque judicabis, longè plus intereſſe, ut Pharmacopœus herbarum habeat accuratam cognitionem, quàm ut aliarum rerum medicarum ſit peritus, de quibus tamen multi nimium ſunt ſoliciti.

Pharmacopœus herbas dignoſcere diſcat.

Dies 17., quæ Dominica fuit, merito cultu Div. conſumebatur, tẽpore verò intermedio Hoſpes chariſſimus ſequentes hiſtorias notatu dignas retulit: Hoſpitia aliis militibus parans quidam miles, cùm hic loci ante plures annos à Patre meo hoſpitio exceptus fuiſſet, ſervo ſuo, num cum aliis prædari liceat? interroganti, hoc conceſſit; qui verò non tam hoſtes, quàm cœnobium quoddam vicinum aggreſſi fuerint, ibique

Prædationem malè cõcedens.

 inven.

inventos equos abduxerint ; unde paulo post servus catenis ferreis vinctus, scamnoq; alligatus, Magister v. laxiori custodiæ traditus fuerit ; sic, ut in hospitio, quorsum quidem voluerit, se conferre potuerit ; unde cum civibus biberit, luserit, hilaremque se præbuerit ; at quodam die subito accessisse sacerdotem è vicino Pontificiæ Religioni addicto pago Lybach / cui & is addictus fuerat, ipsique denunciasse, crastino ipsum decollatum iri ; unde per integram quidem noctem litteras Monachium exararit , & ad mortem se pararit, hanc etiam sequenti die in foro publico sustinuerit, sepultusque postmodum in modò memorato pago fuerit : dumque æditius illius loci præsens viderit , decollatum hunc militem braccas gestare rubras, illum sequenti nocte sepulchrum aperuisse, mortuo braccas detraxisse, & statim induisse ; verum enim verò cùm nocte sequente in templo campa-

nam

nam ſonare voluerit, comparuiſſe decollatum absque capite, idque per aliquot dies ſic ſucceſſiſſe, hincque ædituum de vendendis braccis cogitaſſe; eas huc Geislingam [ubi hæc ſcribo,] detuliſſe, & vili pretio cuidam turris cuſtodi vendidiſſe, nec hunc, quomodo eas acquiſiverit, certiorem reddidiſſe; at cùm hic ſuperiorem turris partem aſcendiſſet, & ei capite truncatum comparuiſſe, non ſemel ſolum, ſed per aliquot noctes, unde tandem in braccas accuratius inquiſiverit, iisque ſepulchro iterum illatis omne ſpectrum diſparuerit; quæ quidem ad magis confirmandum ea, quę Eraſm. Franc. de ſpectris refert, non parum conferre, hoſpes laudatus credidit; quam deperditæ verò mentis homines inveniantur, qui Diabolo adſcribant, quæ ſoli malitiæ ſuæ deberent, ſequenti hiſtoriâ confirmavit: Cerdo quidam, cùm ſemper plus gulæ indulſiſſet, quàm laboribus ſuis præfuiſ-

Capite truncatus braccas ſuas detrahenti comparens.

Capite truncatus braccas ſuas ementi comparens.

fuisset, inde, uti non potest non fieri, pauperiem contraxit; officiolum tamen cui hodienum præest, ei fuit creditum, quod, si vitam mutasset, alendo eidem suffecisset; at semper adhuc plus pecuniæ insumens, quàm quidem acquisivit, de hac adipiscenda varia iniit consilia, & aliquando domum veniens Uxori retulit, Diabolum sibi decem florenos mutuò dedisse, qui domum delati in stercus equinum mutati fuerint, nihilominus verò nisi reddat constituto tempore, in corpus suum jus se cessisse Diabolo; ut itaque tantum pecuniæ intereà colligat, ipsam subnixè rogat; nec hæc deest huic petito, & difficulter licèt, tandem tamen in tempore tantum pecuniæ corradit; exspatiatur cum eadem constituto tempore maritus, & in loco quodam certo expectare ipsam jubet, secedens interea, & paulo post rediens jam Diabolo pecuniam se reddidisse, sicque ab omni metu liberatum esse,

Diabolum pecuniam sibi mutuò dedisse fingens.

gau-

gaudens refert; moritur interea hæc Uxor, ipſeque aliam ducit, cum qua cùm haud ita diu in cõjugio vixiſſet, priorem fabulam agere incipit, huicque ſimilia prorſus de pecunia à Diabolo mutuò data refert, ſubjungit tamen, ſe nunc chirographum ſanguine ſuo ſcriptum Diabolo tradidiſſe; ſeu verò hæc noluerit, ſeu nequierit, pecuniam non collegit, unde temporè ſolutionis ab ipſo deſtinato inſtante malè ſe habere, & plurima deſperabunda verba proferre cœpit, hincque res ad Magiſtratum delata fuit, qui, ut ipſi ſolatio adfuerint varii Eccleſiaſtæ, ordinavit, ſimulque, ne violentas ſibi inferat manus, cuſtodes conſtituit; nec tamen ſolatio ſic erigi potuit, quin ſemper adhuc deſperabundus paruiſſet, donec aliquando ſubito cuſtodibus ſuis dixit; Gaudete mecum, craſtino die reſtituetur chirographus meus, horamque, quâ hoc ſperet, nominavit; hâc ipſâ etiam horâ, poſtmodum

Diabolo ſe mancipaſſe fingens.

chirographum, nescio unde, protraxit, litteris solis initialibus nominis sui M. B. insignitum, eumq; custodibus tradidit, qui ad Magistratum detulerunt, unde & aliorum oculis subjectus fuit; simul verò suspicio quædam de dolo quodam suboriebatur, unde nunc in carcerem conjiciebatur, ibiq; accuratiùs examinabatur, tandemq; constitit, omnia hæc pessimo dolo peracta fuisse; fatente ipsomet, hæc se solùm, ut pecuniam Uxori extorqueret, sic finxisse, nec unquam cum diabolo locutum fuisse, nec chirographum ei tradidisse, sed has sanguine suo scriptas litteras semper secum gestasse: unde pœna, nescio quæ, eidem irrogata, pœnitentiamque coram universo populo út agat, mandatum fuit; restitutus tamen officiolo suo, huic hodienum præest, jam coram hominum oculis meliorem se gerens: quam parum verò fidendum sit iis, qui vel pluribus verbis & circum-

cumſtantiis Diabolo ſe mancipaſſe aliis perſuadent, hæc obſervatio docet, diligenter itaque & diu in ſingula inquires, antequam certi quid in ejuscemodi caſibus ſtatues.

Acidulæ Uberkingenſes antipodagricæ.

Hoc die, quia à balneo vacavi, Acidulas Uberkingenſes adii, quæ guſtui maximè arriſerunt, retulitq; Hoſpes, Sacerdotem quendam Arthriticum, qui incedere non potuerit, easdem hoc Anno vix bis pro balneo intraſſe, & jam ferè cum aliis curſu certamen inſtituiſſe; unde non fruſtra & ab aliis in hoc morbo conſtat, has aquas laudari.

Femoris fiſtula.

Primò intravit balneum die 18. Jûlij Civis quidam Ulmenſis, qui retulit, fiſtula femoris ſe jam per viginti & quod excurrit annos laborare, & hinc plures Celeber. Chirurgos ſe conſuluiſſe, qui tamen omnes hactenus manus fruſtra adhibuerint, tandemque ipſimet faſſi fuerint, malum eſſe inſanabile; commendaſſe tamen nonneminem hoc balneum,

cujus vires jam experiri velit: utut verò in curandis antiquis ulceribus illud jam dudum laudem meruerit, quod tamen hîc, quod hic optat, sit præstiturum, cùm ossa jam corrosa esse, arioler, totus dubito; nec alio modo facilè curantur hæ fistulæ, cùm & sectio vix locum habeat, & sine hac rarò ejuscemodi ulcera penitus curentur.

Mictio cruenta.

Utitur quoque hoc ipso balneo quædam propinqua adfinitate mihi conjuncta, quæ jam per semestre & quod excurrit, urinam cruentam mingit, aliquoties sanguine crasso grumoso plenam, absque tamen notatu digno dolore, & huic quidem illud quodammodo prodesse posse, judicavi, opus verò etiam habere travmaticis atque balsamicis, monui; nisi enim consolidentur venulæ hunc sanguinem profundentes, identidem hunc fluxum rediturum.

Calceus pectori imposi-

Narravit hâc vesperâ noster Hospes, quòd ante quosdam annos duo

juve-

Juvenes rustici rixati fuerint, & is, qui magis læsum se crediderit, alterum in via expectarit, verberibusque sic tractarit, ut hic in mortis prædam cesserit; domum vero properasse homicidam, & occisum in via jacentem reliquisse; hinc autem quendam alium, qui occisum probè noverat, præteriisse, exuisse huic calceum pedis sinistri, huncque pectori ejusdem imposuisse, hincque factum fuisse quidem, ut occisor domum venerit, at ulterius procedere, & fuga sibi consulere minimè potuerit; unde re postmodùm ad Magistratum delatâ, captus, & capite truncatus fuerit: quod verò, sicut omninò pro superstitioso medio habendum est, ita, an huic ipsi, an verò conscientiæ læsæ hæc domi detentio adscribenda sit, totus dubito; sciens tamen, non deesse, haud infimi subsellii viros, qui ejuscemodi rebus multum admodum tribuunt, in horum gratiam communicavi. tus homicidam domi detinens.

Bibit

Epileptica sanguinem decollati bibens.

Bibit hujus capite truncati homicidæ sanguinem adhuc calidum, & jamjam prosilientem, fœmina quædam epileptica, & postea totum oppidum percurrit, an verò juverit, ei, qui dicta narravit, non innotuit; nec sanè ego quidem multùm huic remedio tribuo, cùm non solùm horrendum sit, sed &, non tam per se, quàm insigni illâ alteratione quę in sumente excitatur, juvet, quæ ipsa tamen & ipsum malum facilè augere potest, ut adeò anceps quoque sit remedium.

Dolores artuum urentes balneo succedentes.

Die 19. Julij hactenus balneum quotidiè bis manè per bihorium, & vesperi per unam horam continuantem dolores artuum incommodare cœperunt, urentes, ac si aqua fervida continuò perfunderentur, quod ego quidem resolutioni materiæ peccantis, & abundanti tartaro, quem urina abundè prodidit, adscripsi; hincq; non tam omittendum, quàm

diutiùs

diutiùs & diligenter continuandum esse balneum, judicavi.

Consuluit me hoc mane Mulier quædam Altenstattensis, cujus filius hactenus balneo ad curandam scabiem usus fuerat, quidq; factu sit opus? dum nunc hinc inde in aliás sanis partibus maculæ multùm prurientes erumpant, interrogavit; & ego balneum continuare jussi, dum communiter creditur, quicquid balneum producat, id ipsum idem & curare; quod inprimis verum esse de cutis vitiis; hactenus experientia docuit: finitô verò balneô puerum purgante opus habiturum, simul judicavi.

Maculæ post balneum.

Die 20. Julij dolor quidem artuum aliquantum se remisit, at successit huic capitis tam intensus, ut tussire vix absq; clamore potuerim; at hunc balnei vaporibus originem suam debere, unanimiter reliqui balneantes statuerunt, nec ipse aliunde derivare potui, hincq; non tam medi-

Capitis dolor à balneo.

medicamenta eidem opposui, quàm patienter tuli, & balneum eo, quo prius modo continuavi.

Virgo carceri includi volens.

Narrarunt hoc die fide dignæ Matronæ Ulmenses, ibi Virginem quandam, quia amore exoptato frui non potuerit, in melancholiam gravem cum mensium obstructione incidisse, hinc verò aliquando extra portam deductam subitò custodibus suis eam se subduxisse, carcerem adiisse, & ut huic includatur, seriò ursisse, se enim ex furtivis amoribus gravidam hunc maximè meruisse, asserentē; donec eam interea iterū invenientes custodes, omnibus viribus abduxerunt, & ipsa quasi stupida domum deducta fuit: Utut verò nunc convalescere videatur, magis justus tamen ab ullius, quàm ab hujus affectus reditione metus non fovetur.

Melancholia ab utero facilè redit.

Diarrhœa omissa V. S. & balneo

Faber scriniarius Geislingensis, qui juxta me in balneo sedebat, die 21. Julij retulit, quòd ante decem ferè annos diarrhœâ laborare cœperit,

rit, cui, utut plura remedia opposuerit, omnia quidem omninò frustra adhibuerit, adeò, ut hic alvi fluxus per integrum quinquennium institerit, & vires mirum quantum imminuerit; passim autem tum hinc indè nonnullos asseruisse, mirum quantum nocere Venæsectionem, hincque se eam, quam prius singulis annis bis instituerit, prorsus omisisse; simul verò balneum Rötelense in usum duxisse, & diætam sic sat accuratam servasse, indeque DEI gratiâ malum sic cessasse, ut non habeat, de quo nunc hujus ergò queratur: Venæsectionem nempè sæpiùs institui, ubi magis nocet, quàm prodest, hæc observatio docet, nec novum est, eâdem omissâ plus in curandis quibusdam morbis profici, quàm quibusvis aliis remediis.

adhibito cessans.

Venæsectio subindè utiliter omittitur.

In Annotatis ad Happelij Relationes Curiosas Dn. mei Hospitis sequentia notatu digna inveni: Anno

Superfœtatio notatu digna.

1629.

1692. d. 26. Januar. hic Geislingæ in Xenodochio (Seelhauß hoc nominat,) paupercula quædam, nomine Barbara Schätzerin/ cujus maritus nomen Leonardi Rucker gerebat, & Rohrensis Würtembergicus erat, filiolum peperit, qui in S. Baptismo nomen Friderici accepit: & postea cum eo per sex hebdomadas hic Geislingæ in modò memorato loco morata fuit; postmodùm d. 14. Martij supra scripti anni, Eyslingæ, quæ magna vocatur, iterum filiolum enixa est, qui die 19. dicti mensis Wangæ S. Baptismo à loci Pastore tinctus, & Joannes nominatus fuit, quod Pastor hic in testimonio Baptismi ergò dato propriâ manu & huic præfixo sigillo suo testatus est: quod egregium superfœtationis exemplum communicatione, ne in privatis his schedis pereat, omninò dignum est.

Hodiè iterum dolor capitis me non parum vexavit, & tanta lassitu-

do

do corporis, ut aliquoties dubitaverim, an balneum ſit profuturum, ſpem tamen meam ij, qui ſæpius eôdem uſi fuerant, iterum erexerunt.

Die 22. Julii gravem odorem, balneum, dum illud egreſſus fui, ſpirare notavi, & alii ſe itidem notare teſtati ſunt, qui, quia nullo modo in aqua quæri poteſt, dum illa nec frigida, nec cocta, quin nec fervens, vel minimum odorem exſpirat, omninò vaporibus è corpore exhalantibus, & ſudori elicito ſalibus peregrinis ſcatenti tribuendus erit. Balnei odor gravis.

Hiſce diebus ſepultus fuit pauperculus quidam, quem herniâ inteſtinali laboraſſe, de S. Cathedra indicabatur, qui hinc in obſtructionem alvi & morbum iliacum incidit, ſicque mortis faucibus eripi non potuit; quod quia confirmat, quantum requiratur, ut hernioſi ſedulam ſui mali gerant curam, cùm aliâs facillimè talia mala producat, hic adjungo: Hernia occidẽs.

D

jungo: Hic enim Vir vix quadragesimum ætatis annum attigerat, & sine dubio vitam diutius protraxisset, si majorem herniæ suæ rationem gessisset.

Capitis dolor instans.

Et hoc autem die capitis dolor me denuo vexavit, cui verò nullum ex supra jam memorata causa opposui remedium, eum nempe à balneo derivans, hincque ante hoc absolutum vix cessaturum, mihi persuadens.

Senes feliciter balneo utentes.

Die 23. Julii balneo utens Senex quatuor vel quinque annis septuagenario major, simulque referens, hoc sibi summè conducere, me permovit, ut hoc ad Hospitem nostrum detulerim, qui responsi loco retulit; Novi quid hoc hic loci non esse, decrepitos enim plures Senes hoc balneum ingredi, & quod profuerit, viresque quodammodo restituerit, testari; hôcq; demum annô eo quendam octuagenario majorem non absque fructu usum fuisse; nunquam

itaque

itaque æquiparandi erunt quivis Senes; sunt n. omnino quidam, quibus balnea obessent potiùs, quàm prodessent, sunt, qui iisd. opus habent, & ferre quoque ea possunt; non sola senectus ergo te permovebit, ut cui balneum dissuadeas, cùm horum Senum exemplum abundè doceat, quosdam illud non absque fructu ingredi.

Scrotum sphacelatum curatum.

Meridie, dum barbam mihi totondit Vir quidam, qui diu jam juxta hanc operam Chirurgiam exercet; is mihi narravit, quòd ante aliquot annos in via offenderit opificem quendam Juvenem, qui de tumore & dolore Scroti conquestus, opem suam quæsiverit; quia verò tùm ad alium ægrotum properârit, se ei suasisse, ut proximè situm oppidum Geißlingen adeat, ibique, ut in Xenodochium recipiatur, rogitet, postmodùm enim fideliter se eidem adstiturum: Placuit consilium Juveni,& sicut quidem Chirurgus pro-

 mise-

miserat, in Xenodochio recipitur, ibique adventum hujus exspectat; qui rediens statim eundem visitat, & scrotum non solùm tumidum verum & sic inflammatum invenit, ut gangrænam instare nullus dubitârit; Medicum itaque loci tum ordinarium adit, & hunc propterea consulere vult, at eum domi non offendit, ea itaque medicamenta, quæ aliâs in gangræna proficua expertus fuerat, interea applicat, donec is quoquoque accedit; at nec hæcce, nec quæ interna à Medico ordinata fuerunt, impedire potuerunt, quin malum indies incrementum sumsisset, sic quidem, ut quodam mane totum scrotum nigrum sicque spacelatum invenerit, cùm præsertim ubicunq; illud pupugit, æger nec minimum persenserit; hinc verò pro desperato eundem habens Chirurgus cruciatim scrotum incidit, ubi multum seri putidi atque fœtentis profluxit; applicavit hinc medicamenta partim

tim refrigerantia gangrænæ dicata, partim calida ſphacelo oppoſuit, (tam egregiè ſcilicet is ratiocinabatur) nullus dubitans, brevi in mortis prædam ceſſurum ægrotum; verum enim verò præter ſpem emortua caro cutisque paulatim à ſanis ſeparari cœperunt partibus, ita ut nudi teſticuli, & per ductum urinarium means urina conſpici potuerint; hincque paulatim nova cutis inducta fuit, ſicque pro deſperato habitus ſanus DEI gratiâ domum rediit; qua medicamenta nempe, verasq; morborum cauſas tam craſſa multorum eſt ignorantia; ut niſi caſus vel fortuna juverint, vix unus alterve ſervaretur; laudandus interea hic, quod notato ſpacelo partem affectam ſtatim incidit, ſic enim, ne malum ulterius progreſſum fuerit, impedivit, hincque poſtmodam eò faciliùs curari potuit.

Incisio in ſphacelo laudata.

Hoc die iterum per totum diem dolor capitis me divexavit.

Dies 24. Julii DEO Sacer Ejus quoque honori fuit datus, hincque tum mane, tum meridie concionem S. frequentavi, & DEO pro immensis beneficiis gratias submissas egi; circa vesperam, quia Encænia hic loci celebrabant, hilares se præbentium Juvenum Virginumque locum adivimus, eosq; aliquamdiu saltantes vidimus; postmodùm verò in proximum oppido pagum Altenstadt exspatiavimus, ubi in via quidam Civis Geislingensis retulit, quòd ante aliquot annos dolore cervicis tam acerbo detentus fuerit, ut per aliquot dies caput nec erigere quidem potuerit, cui Medicus tum hujus loci sat Celebris, beatus *Dn. D. Gerhardus*, amicus meus, dum vixit, syncerus, varia quidem medicamenta at quævis omninò frustrà opposuerit; unde aliquando quodam mane lecto suo per dimidiam quasi horam instar dormientis adsederit, tandem verò quasi evigilans jusserit, ut

Encænia

Dolor Cervicis acerbus.

Uxor sua bonam quantitatem aquæ Rötelensis domum deportet, hanc calefaciat, calefacta Gutturnium repleat, hujus sic positi, ut commodè ego cervicem submittere possim, et pistomium aperiat, & aquam calidiusculam super meam cervicem guttatim prolabi sinat; cui consilio cùm satisfecissemus, illico intensus dolor sic se remisit, ut statim iterum non solùm caput erigere, verum & aliis operibus præesse potuerim; unde continuavi quidem hoc remedium, at sequenti Anno, suadente sic eodem laudato Medico, ipsum balneum ingressus fui, ubi quidem in principio pessimè me habui, at postea tantùm DEI gratiâ profuit, ut sufficienter ejusdem laudes extollere non possim: Est verò hic sic sat antiquus inveteratos dolores curandi modus, nec frustra sine dubio in usum revocaretur; uti quidem in quibusdam Thermis hodienum interdum Embroccationem, uti Bar-

Embrocha cum fructu adhibita.

Balneum primò minus conducere visum.

bari vocant, adhiberi, constat.

Ictericus color Acidularum potum urgens.

Hoc die sub instante capitis dolore flavedine denuo obductas manus meas notavi, hincque urina etiam tinctiore acidulas quoque Uberkingenses bibere cœpi; quibus DEUM clementer benedicturum, vel ideo magis spero, quia plurimos easdem ab hoc malo liberasse memini.

Die 25. Junii, utut S. Jacobo dicatus, nihilominus Balneum pro antiquissimo loci more calefiebat, unde & ego præmissis consuetis precibus horis matutinis ingressus sum, colore semper magis flavus, urina verò jam priorem naturalem colorem denuo acquirente, & dolore capitis DEI gratiâ notanter se remittente; eò lubentiùs itaque Aquas medicatas tum Rötelenses, tum Uberkingenses continuavi; & sanè illas hodiè egresso omnis calor flavus disparuerat, qui tamen postmodùm rediit, unde acidulas subjeci.

Convalescentiæ spes.

Ma-

Matrona quædam propinqua adfinitate mihi conjuncta narravit, quod ante aliquot annos quædam è ſuis amicis, Vetula integerrima, non tam graviore quodam morbo, quam ipſa ſenectute, ſeptuagenaria quippe major extiterat, decubuerit; hanc accedens Eccleſiæ Miniſter quidam dexterrimus, & rerum medicarum quodammodo peritus, at huic peritiæ nimium fidens Venæſectionem huic Vetulæ non tam à preſſis, quàm paulatim evaneſcentibus viribus difficiliùs reſpiranti mirum quantum commendavit; quam quidem alter Medicorum præſentium admiſit, alter verò mortem acceleraturam, expreſsè prædixit; adhibetur tamen Eccleſiaſtæ inprimis fides, & Vetula primo itidem renuens perſuadetur, ut Venæſectio inſtituta fuerit; at vix deligato brachio cum morte conflictari incipit illa, pauloque poſt beatè obdormit; ne itaque tam generoſum remedium ſemper magis

Venæſectio vetulæ malè cedens.

diffametur, morti tam propinquæ vix ullus in posterum commendabit.

Venæsectio optimè conducens.

Multò magis tamen profuit postmodùm Virgini cuidam octodecim annorum, quæ acutè febricitans omnia prorsus medicamenta sumere detrectavit, unde quidam medicaster Clysterem commendavit, qui tamen ipsis adstantibus suspectus eos permovit, ut alium etiam Medicum consuluerint; qui in præsentia ordinarii Virgini summè plethoricæ Venæsectionem suasit, quæ & ordinario licèt renuente, certoque mortem subsecuturam prædicente, instituta fuit; at sicuti Virgo, quæ prius nec verbum protulerat, eâ vix celebrata, loqui denuo cœpit, ita ab illo tempore se melius habuit, & sequenti die Variolæ erumpere cœperunt; quæ sine dubio graviora adhuc produxissent mala, nisi sanguis in tempore subtractus eadem impedivisset.

Diei

Diei 26. mane, utut hanc noctem DEI gratiâ quietiorem reliquis pluribus duxerim, manus nihilominus adhuc flavedine obductas notavi, hincq; acidulas, antequam balneum frequentavi, bibi; quæ nunc sudorem inprimis moverunt, alvo aperta quidem at dura, & urina inconsueta, non majori verò quantitate profluente.

Acidulæ sudorem moventes.

Ne verò Thee prorsus oblivioni traderetur, ejusdem convenientem quantitatem in Aq. Baln. Rötelensis infundere jussi; quod potum gustui tam gratum exstitit, ac cum ulla alia aqua extractum, nec colorem quoque alium acquisivit; si itaque delicatior quidam hâc aquâ pro potu opus haberet, hic commodissimè Thee eidem adjicere posset, quæ Herba simul ejus vires non tam imminueret, quam augeret; qui verò exsiccatione quâdam humorum indigent, sine dubio has aquas sic non absque fructu biberent, de quibus asserunt,

Thee in Aqua Rötelēsi infusum.

Aqua Rötelensis

ſerunt, eas nunquam ſic in nimia quantitate bibi poſſe, ut vel minimam inducerent noxam; utut verò ab iis, qui balneo utuntur, in non ita exigua quantitate bibantur, neminem tamen inveni, qui eas ſolum in potum adhibuiſſet.

eum fructu bibitur.

Paralyſis à percuſſione.

S. Jacobi Feſto, quia pleriq; Vino nimium indulſerunt, non potuere non & lites ſuccedere, quæ cujusdam, de quo plerique meliora ſperarunt, mentem ſic exaſperarunt, ut fuſtim ſat grandem è terra extraxerit, & quendam Sartorem ſeu re verà ſeu imaginarium hoſtem aggreſſus fuerit, eumque tam graviter percuſſerit, ut in principio pro mortuo à vicinis fuerit habitus; accedens tamen & ego, pulſumque planè non mutatum inveniens, & ebrium eſſe Juvenem quibusvis adſtantibus teſtantibus, vomitu etiam accedente quietem eidem inprimis commendavi; delatus poſtmodùm domum fuit Juvenis, & mane ſequenti

à loci

à loci Phyſico & Chirurgis ordinariis viſitatus, qui eum paralyticum qua latus dextrum invenerunt, & hinc non niſi dubium dare Prognoſticon potuêre; quia tamen urinam non inſcius reddidit, alvum etiam apertam habuit, non omnem ſpem deponendam eſſe credidi; medicamenta ex Succin. Caſtor. Cinnabar. Liq. c. c. ſuccin. Specif. Ceph. D.M. diligenter continuabantur, nec externi quippiam intentatum relinquebatur, dum non ſolùm impoſita & inuncta convenientia, ſed & tonſura capilli remoti fuerunt; unde tertio ferè die ſenſus quidam partis paralyticæ rediit, qui majorem ſpem addidit, utut adhuc dubiam, quia de inſigni capitis gravitate ac dolore conquerebatur Juvenis; licetque febrim abeſſe pulſus indicarit, calor tamen tangentis manus quaſi urens ſuſpectus mihi fuit, dum metui, ne forſan ſanguis grumoſus intra Cranium

latitet,

latitet, qui ſanè graviſſima excitaſſet mala.

Verte- bræ ſub- luxatæ.

Circa veſperam diei, quo hæc ſcripſi, Phyſicus loci ordinarius me viſitavit, & retulit, ſe in modò dicto Juvene vertebras ſuperiores ſubſlaxatas inveniſſe, & hinc trahendo & manu juvando per Chirurgos easdem loco ſuo reſtituiſſe; hinc verò Juvenem jam longè meliùs ſe habere, nec ſic deeſſe motum lateris dextri, quin major & hujus reſtituendi ſpes quotidiè affulgeret; quod eum, qui hoc facinus perpetravit, hactenus captivum non parum ſolabitur; ſexto ferè die Iſchuria acceſſit, calorque p. n. auctus fuit, unde nunc vena ſecta ſanguis ſubtrahebatur, quod non ſolùm urinam revocavit, ſed & calorem nimium extinxit, paulatimque hinc convaluiſſe Juvenem, poſtmodùm mihi relatum fuit.

Die 27. Julii lectum DEI gratiâ tam ſanus tamque alacris reliqui, ut ſummo huic meo Soſpitatori Servatori-

torique submissas devotasq; egerim gratias; tantas autem me agere nunquam posse, quantas debeo, humillimè fateor; tam multa enim mala tam graviter me hactenus torserant, ut nisi DEUS juvisset, hisce vix ita diu adhuc superesse potuissem; at juvit is clementer, juvit benignè, juvit magis ac quidem optare, citiùs, ac sperare potuissem; sit Is laudatus in secula: continuavi nihilominùs tum acidulas, tum balneum. Gratiarũ actio.

Intravit hocce hodiè Torneo quidam, qui lassitudinem ante annum subortam, illud optimè discussisse, sicut retulit, ita hoc anno idem præstiturum speravit: narravit verò in balneo, se ante aliquot annos laborasse cervicis dolore tam acerbo, ut Medicum, intereà jam diu vivorum numero subtractum, consulere opus habuerit, qui noscens, plurimos Geislingensium esse Tabacophilos, & hunc hoc fumo se nimium delectare hinc nullus dubitans, Nicotiana eâd. horâ suasa & dissuasa.

ut

ut in posterum minus ejusdem haurriet, seriò commendavit; cùm verò postea ex eodem percepisset, per quindecim integros, & quod excurrit annos, eum nec semel quidem fistulam nicotiana repletam ori admovisse, inde stante pede consilium mutavit, & ut in posterum quotidiè unam alteramve modo consueto evacuet, suasit, nec aliud eidem suggessit remedium; & sanè hoc ipsum tantùm profuit, ut ab illo tempore dolores se remiserint, ipseque nicotianæ usum in hunc usque diem continuet: Quam sedulò apophtegmatismos commendaverint Veteres, vel parum eosdem evolventem non potest latere; quibus sicut sic sat commodè Nicotiana substituitur, cùm plurimum seri vitiosi ex ore subducat, ita si debito modo & præmissis præmittendis in usum ducatur, abususque arceatur, non minori utilitate adhibetur.

Ut

Ut semper magis magisque sanitas Divinâ gratiâ recuperata confirmaretur, per integram hanc hebdomadam balneum acidulasque continuavi, & hinc 28. die Julij illud itidem ingressus fui, nilque ferè notatu digni occurrit, nisi quod Torneo, cujus heri mentionem feci, in balneo, cum secundò illô usus fuisset, tam malè se habuit, ut ex illo secedere aliquamdiu opus habuerit, nec diu, illud nihilominùs iterum intrans, in eodem subsistere potuerit; sicuti verò retulit, idem planè ante annum sibi contigisse, postmodùm verò balneum optimè se tulisse, ita & hoc anno de reliquis balneis non habuit, quod vel minimum quereretur: non itaque statim animus est deponendus, si vel maximè in principio quis balneum vix ferre possit, audentior contra ito, nec te facti pœnitebit.

Balneum in principio ferre non potens.

Hodiè etiam Hospes noster de ardore ventriculi subindè subitò sub-

Ardor ventriculi ad

E orien-

caput se extẽdẽs. oriente, & ad caput usque se extendente, illudque turbante, conquestus fuit, ubi ipse quidem vomitorium pro remedio maximè convenienté habuit; at ætate propè septuagenario hoc minùs convenire judicavi; præsente præsertim & alio contraindicante non minùs considerando: Pulv. lapid. Cancr. itaque ego quidem commendavi; capitis verò præsertim rationem habendam esse censens Physicus loci ordinarius, Liq. c. c. succin. laudavit, qui nocere nullo modo poterit, dum & is acidum in ventriculo peccans corrigit.

Lepra jamjam instans. Die 29 Jul. Acidulas & balneum continuavi, propiusq; hoc die inspexi Hospitis cujusdam Altenstattensis filium, qui scabiei ergo balneo utebatur, invenique malum tam perversum, ut si puer ad me deferretur, eum leprosis adscribere nullus dubitarem; cùm præsertim postmodùm Mater retulisset, à prima infantia

fantia hunc filium ſuum cum hoc externo vitio conflictari, pluriumq; remedia ſe hactenus fruſtra omnino in uſum duxiſſe, tum interna, tum externa, nullum enim unquam vel minimum profuiſſe; niſi v. hunc cura per Saliv. Mercur. inſtituta juverit, nō niſi difficillimè ſanitati reſtituetur.

Dolores inter ſcapulas periodici.

Hactenus etiam balneo mecum uſus fuit inſignis quidam Hoſpes Ulmenſis, is doloribus inter ſcapulas periodicis jam diu tortus, varia iisdem fruſtra omninò oppoſuerat remedia, unde tandem in his aquis auxilium quæſivit; utut verò in principio aliquoties vehementiùs redierint, paulatim tamen ſic conſumti fuere, ut jam ſe non habere, de quo queratur, teſtetur; quantum verò balnea & in diſcutiendis internis quibusdam morbis ſubindè proſint, egregius hic teſtis exiſtit.

Cura finita.

Die 30. Julii præmiſſis acidulis ultimò balneum intravi, & poſtquam per horam in eodem moratus

fui, finem huic curæ imposui; DEO T. O. M. infinitæ sint grates, quòd tam clementer huic Curæ benedixerit, & sanitatem non parum labefactatam restituerit; Faxit hic meus summus Sospitator, ne tanto hoc dono in posterum abutar, aut eidem intemperantia ipsemet insidias struam, sed ut potius illud adhibeam in Divini Nominis gloriam, liberorum sedulam educationem, & ægrorum inprimis salutem suam mihi credentium seriam solicitamque curam.

Geislingensium humanitas.


Post prandium iter meum Ulmam institui; non possum verò non laudare summam oppidi hujus Incolarum humanitatem, dum non solùm suprà laudatus Hospes Cos. Bunzius per totum tempus, quo ibi vixi, non instar Hospitis, sed sicut Pater me tractavit, idque pretio tam moderato, ut laudem vel ideò quoque mereatur; Sed & reliqui quoties

ties præterivi, ut ſalutare ſit balneum humaniſſimè apprecati ſunt aliqui etiamRoſas, floresque Tunicæ dono dederunt, & quæ plura ſunt humanitatis officia, quæ quantum in ipſis fuit, lubentiſſimè atque promtiſſimè præſtiterunt.

Habent ibi templum ſic ſat magnificè extructum & antiquum, dum inſcriptio docet, An. 1424. juſſu Magiſtratûs Ulmenſis Nicolaum Umgelter / primum poſuiſſe lapidem, qui quantum ex habitu patet, tum Sacerdotem egit; inter cetera in hoc templo mihi placuit Epitaphium Patroni beati Parentis mei olim ſummi, Generoſi Domini Erhardi Schadii, quod ipſemet mortis memor ante beatam ſuam mortem ſcripſerat, quod propterea hic communico:

Geislingenſium templũ.

Epitaphium Schadianum.



Viator
Siste quæso! pedem, & sedulò meditare,
Te mortalem esse.
Vah quantum meditationum pelagus!
Hoc te scire volui,
Mortis omnium molestiarum,
Dulcis levaminis
Subindè jucundè memor
Erhardus Schad
XX Annorum Albecci & Leibheimij,
XXXI Annorum Geislingæ
Præfectus,
Qui, quoad vixi, mortuus sum
Mori desii
Die XI. Mensis Novembris
Post continuã LXXVII annorũ mortem,
Anno natæ mihi Vitæ
Et mortuæ mortis
M DC LXXXI.
Abi Viator
Et ut benè moriaris, benè vivere,
Ut optimè vivas, benè mori disce.
Mortales Valete,
Immortales Havete.

Ulmæ hinc ſuperatâ tempeſta-te minus favente, DEI gratiâ, bonis avibus appuli, & humaniſſimè à Domino Rectore Rothen / Domino Adfine meo æſtumatiſſimo, exceptus fui.

Diem 31. Julii, quæ iterum erat Dominica, S. Concionem bis frequentando celebravi, & inprimis inſignem illum Theologum Dominum Doct. Veielium audiendo non parùm mentem recreavi, dum quomodo Chriſtiani Encænia celebrare debeant, (hæc enim & hic loci inciderant,) eleganter docuit.

Veielius.

Convivio poſtmodùm me excepit præcipuus quidam Mercator Auguſtanus, quem pedis ſiniſtri ſubluxatio, & hanc inſequentes dolores acerbi hic loci præter opinionem per pluſculos dies detinuerant; uſus is fuerat Acidulis Deinacenſibus, quas ſemper brevi ſe per alvum reddidiſſe, hincque optimè ſibi conduxiſſe, retulit: Narravit hic quoque, ali-

Pedis ſiniſtri ſubluxatio.

Acidulæ Deinacenſes.

Nauſeā excipiens frigus & calor.

quando in Itinere conſtitutum, Juſculum ſe comediſſe, & ſuſpicione ſuborta, ſevum quoque huic incoctum fuiſſe, ſe tantam nauſeam inde percepiſſe, ut non ſolùm omnis appetitus proſtratus fuerit, verum & pondus ventriculum occuparit, non parum moleſtum; continuaſſe ſe interea nihilominus iter, at vix hoſpitium prandio dicatum intraſſe, ubi tantùm ſucceſſerit frigus, ut vix vel pluribus injectis lectis abigi potuerit, quod calor exceperit, vires inprimis proſternens, quibus malis Tincturam Bezoarticam & pulverem ſimilibus viribus imprægnatum tantâ cum felicitate oppoſuerit, ut ſubſequente ſudore Iter ſuum proſequi potuerit, ſanusque DEI gratiâ domum redierit.

Ictetus vino medicato cedens

Poſt meridiem Avunculum meum Bloſſium viſitavi, qui hiſce diebus Ictero laborans huic malo non abſque fructu Vinum medicatum oppoſuerat, quia verò querebatur,

adhuc

adhucdum urinam planè tinctam se excernere, aliquoties iteratum potum Acidularum Uberkingensium eidem commendavi: omninò verò olim jam Vina medicata Ictero feliciter opposita fuerunt, licet hodiè breviore viâ is per martiata feliciter abigatur.

Præscripsi quoque Studioso cuidam scabioso purgantes Pilulas, quæ ex Mercur. dulc. & Jalapp. inprimis constitisse, qui vel parum in lineis meis medicis versatus est, facilè ariolari poterit: Et sanè, (quicquid nonnulli novatores oggenniant,) scabiosi ut purgantia aliis curis præmittant, omnino opus habent, dum serum vitiosum non solùm qualitate, sed & quantitate sæpiusculè peccat, hincque novum non est, vel solis purgantibus scabiem feliciter depulsam fuisse: nolim verò drastica illa & vehementia adhibeas, cùm Jalappa inprimis tantum non quibusvis sufficiat.

Purgans scabioso præscriptum.

Die 1. Augusti post auditam concionem Cognatum meum Chirurgum sat celebrem, Georgium Riedlinum, visitare volui, quem verò in ædibus Dn. Rectoris me inventurum retulerunt, ad quas dum tendo, in via eundem offendo; hic inter alios proficuos sermones narravit, quod hisce diebus opera sua usus fuerit Per-Illustris quidam Baro, primo catarrho ad fauces & palatum tam acri vexatus, ut quævis hæ partes cuticula nudatæ fuerint; utut verò huic nonnisi præmissis universalibus Mannatis Potiunculis alia medicamenta opposita fuerint, hæcque tantùm profuerint, ut jam molestus esse desierit hic catarrhus; subitò tamen successisse tam molestam ophthalmiam, ut non solùm oculi inde multùm intumuerint, verum & eorundem usu aliquamdiu destitutus fuerit, inprimis verò nunc profuisse Vesicatoria, tantumq; levamentum attulisse, ut Generosiss. Dominus

Catarrhi ad fauces metastasis ad oculos.

nus Baro non parum lætatus fuerit: quæ quidem Veſicatoriorum uſum non parum confirmant: Conſuluit hoc ipſo die me quædam adfinitatis quodam gradu mihi conjuncta, conquesta de capitis dolore jam diu molesto, cui varia medicamenta hactenus frustra oppoſuerit; in cujus cauſas dum accuratiùs inquiro, jam per benè longum temporis ſpatium ſe ſingulis menſibus tantum ſanguinis per uterum perdere, quantum vel puerpera perdat, utut jam quinquageſimum agat annum, inter cetera retulit; hinc ergò ſanguinem minùs ſpirituoſum, & in motu ſuo impeditum, in parvis præſertim capitis vaſis dolorem hunc producere, nullus dubitavi, & in martiatis præcipuè auxilium quærendum eſſe, judicavi, taleque medicamentum præſcripſi; ſæpiùs verò hanc ipſam cauſam mulierculis caput inprimis torquere, & Medicis multùm negotii faceſſere, dum quæ dolori medentur medicamenta,

Dolor capitis à nimio menſium fluxu.

menta, menses plerumque etiam movent, & hinc ita tutò non adhibentur, aliquoties ego expertus fui; Martiata tamen plerumque prosunt, nec frustra in Balneis adstringentibus subindè auxilium quæritur.

Ventriculus à renibus affectus.

Cùm die 2. Augusti aliquot iterum Amicos Ulmæ visitassem, quidam mihi retulit, quòd nuper per aliquot hebdomadas ob ventriculi debilitatem & flatuum abundantiam pessimè se habuerit, & post purgantia sumta malum semper exasperatum senserit, Clysteribus quidem quoddam levamentum adferentibus, at non nisi semqer iterum atque iterum iteratis; jam verò, postquam calculos quosdam excreverit, DEI gratiâ quævis mala sic se remittere, ut iterum muneri suo præesse possit: sæpiùs nempè ventriculus flatusque accusantur, altiores tamen & longè aliæ subsunt causæ; sic Medicum quidem latere non potest, renibus affectis, & inprimis à calculo tortis ventri-

ventriculum quoque affici, at quòd illi ſint in cauſa, in iis præcipuè, qui jam multos agunt annos, & per totam vitam ſuam nunquam ejuscemodi quid experti ſunt, ſæpè ſat diu latet, quibus interea, quævis alia medicamenta fruſtra exhibentur, niſi enim calculus excernatur, integre non ſanantur.

Narravit Cognatus meus ſupra laudatus, quod aliquando puer ad ſe delatus fuerit, quem herniâ laborare mater edixerit, hanc verò reverà non ſubeſſe, ſed flatus ſolum ſcrotum diſtendere, ſe inveniſſe, & hinc non tam ſectione, quàm aliâ externâ curâ opus habere, judicaſſe; at acceſſiſſe eam poſtmodùm Caſtratorem quendam, qui ſtatim omnino herniam ſubeſſe, aſſeruerit; ſic quoque rem ad Magiſtratum detulerit, ut is ſectionem ſumtibus communibus in pauperculo inſtituendam conſenſerit; at cùm hoc comperiſſet Riedlinus, re itidem ad Magiſtra- **Herniam peſſimè ſimulás.**

ſtratum delatâ ſectionem feliciter impediit, & puerum poſtmodùm non adeò difficulter reſtituit; Vix verò præteriêre tres menſes, quòd puer cũ matre rediit, & is quod magis quàm prius hernia laboret, conqueſtus fuit; unde ut aliquot artis periti & Medici præſertim eum inſpiciant, Senatus Inclutus juſſit, qui quidem eum ſanum invenerunt; at excepit puer, tum demum inteſtina in ſcrotum prolabi, ſi corpus moveat, donec hoc conſueto magis calefiat; Illico igitur juſſerunt convocati, ut per viam ſat longam & binos Urbi proximos montes per duos viros is ducatur, & redeuntem ſat calefactum denuo inſpexerunt; at eundem non magis ac prius læſum invenerunt; quod cùm Magiſtratui denunciaſſent, hic dolum ſubeſſe nullus dubitavit, & hinc puerum in carcerem conjecit, ubi faſſus eſt, matre ſic ſuadente, ſe ſupra dicta finxiſſe, quæ ſic ſe eleemoſy-

nam

nam facilius aliis extorſuram ſperaverit, & ſibi braccas novas, fercula, & neſcio quæ alia promiſerit: dum ergo de hernia conſuleris, & hunc morbum interdum ſimulari, ne obliviſcaris.

Die 3. Auguſti Cognata narravit, filium ſuum ante paucas hebdomadas vivorum numero ſubtractum fuiſſe, hunc verò febre continuâ malignâ laboraſſe, quod & Medicus conſultus, primò ſtatim indicarit; at quid de purgantibus & clyſteribus poſtmodùm non ſemel ſolùm iteratis, de Venæſectione & ſcarificatione inſtitutis ſentiendum ſit? facilè, qui mea ſcripta legit, quæ mea ſit ſententia, judicabit.


Febris malignæ infelix cura.

Hoc ipſo die domum iterum properavi, & ſic DEO Comite Günzburgum perveni, ibique pernoctavi; ubi Hoſpes, quòd medicamenta à me præſcripta mala ſupra deſcripta


felici.

felicitter removerint, retulit, gratiasque egit summas, & simul honorarium exhibuit; nil verò notatu digni ulterius contigit, nec hoc, nec sequenti die, quo Iter continuavimus, & DEI gratiâ finivimus; Cui iterum atque iterum sint laudes infinitæ, quod per totum hujus tempus tam clementer mihi adstitit, & non solùm quævis infortunia avertendo, verum & balneo, aliisque adhibitis tam benignè benedicendo juvit: Juva, ô DEUS meus! me, & in posterum, & ego in secula Te laudabo.

Iter finitum.




INDEX.



INDEX.

A.



B.

C.

Cal.



D.



Icterus



Pur-





GEORGII RIEDLINI,

Chirurgi olim Ulmensis laudatissimi, dudum Beatis adscripti,

OBSERVATIONES CHIRURGICÆ RARIORES.

Editæ


ab

AUCTORIS NEPOTE

D. VITO RIEDLINO, Ulmensi,

Physico Augustano, atque Academico Curioso.

Augustæ Vindelicorum,
Apud LAURENTIUM KRONIGERUM,
& Hæredes THEOPHILI GOEBELII,
Typis Abrahami Guggeri, 1702.

L. B. S.

Natus est, cujus Observationes Chirurgicas hîc communico, Ulmæ, anno post Christum natum 1574. die 11. Julij, Patre cognomine, & tum hoc, tum Avo Abavoq; arti Chirurgicæ addictis; quam & ipse sic addidicit, ut non solùm, quemadmodum olim singuli sui Genitores, primarius Urbis Chirurgus à Magistratu constitutus fuerit, sed & egregium nomen acquisiverit; ut adeò insignis quidam Medicus & Chirurgus in publico suo scripto peritissimum præ ceteris Chirurgum *nominare eundem non dubitarit; & magnum sui desiderium post se apud plures reliquerit: Non solùm verò Filij, sed & Nepotes quin Abnepotes ex eodem descenderunt, qui omnes sedulò Chirurgiæ operam navârunt, ac hodienum navant: Inter quos*

 nomi-




nominis celebritatem meritò nactus est, qui adhuc vivit Nepos, Georgius Riedlinus, itidem apud Ulmenses perititissimus in hac arte Magister: Hanc vitam autem cum meliori commutavit noster Anno 1648. d. 18. Augusti.

Collegit has observationes Filius ejusdem, Vitus Riedlinus, D. Medicinæ, & Physicus Ulmensis, beatus meus Parens; sic quidem, ut quasdam, quibus Ipse interfuit, è memoria sua promserit, quasdam verò ex schedis manuscriptis, è vernacula in hanc linguam transposuerit; quas rariorum nomen mereri, vel ideò nullus dubito, quia pleræq; non nisi rarò vel exercitatissimis in Praxi Viris obveniunt: singulæ etiam usum suum habent, quem experti facilè eruent.

Sicuti verò hoc tam seriis illorum monitis, qui quasvis in scriniis adhuc latentes Observationes notatu dignas in publicum protrahere optimè jubent, tum pietati, qua B. Avo sum obstrictus, debui; ita quæ in Itinere Medico quibusdam forsan displicuere, has Observationes compensaturas, totus spero. Vale. OB-





OBSERVATIONES Chirurgicæ rariores.

I.

Verrucæ Menyngis duræ.

ANno 1630. d. 11. Februar. apertum fuit Cranium Mariæ Fündin viginti duo annorum, quæ per plures annos ſatis vehementes capitis dolores ſuſtinuit, ita, ut præ illis nulli labori obeundo firma ſatis extiterit, nec quicquam levaminis à pluribus medicamentis perceperit; Mortuæ cerebrum ejusq; Menynx craſſa glandulis verrucoſis totum penè obductum fuit.

II.

Cancer oculi ſiniſtri.

Hunc vidi in puero trium annorum, pugni magnitudinem æquantem; dege-

bat is in orphanotrophio Ulmensi; at frustra adhibitis variis medicamentis periit. Anno 1631,

III.

Cancer labij inferioris

Rustici An. 1626. d. 8. Julij secti: Involutus tumor, & ligatus filo duplicato, postea novacula excisus.

Item alius rustici Langenaviensis, qui Anno 1643. forfice exsectus: Uterque tamen tumor, antequam planè consolidaretur, recruduit, vicina petiit, usque dum vitam planè ademit.

IV.

Mors vehementem Musculi temporalis & ossium Nasi percussionem excipiens.

In Milite, quem petulantes pueri rustici in agro, procul dubio dormientem, ita malè baculis tractarunt, ut ipsi inde moriendum fuerit: Aperto capite ossa Nasi confracta, musculusque di-

ctus

ctus valdè contusus fuit, ut abindè cerebrum etiam inflammatum comparuerit. Anno 1635. die 21. April.

V.

Ventriculi Vulnus

Joann. Jacobi Hagen/ Culmbacensis Juvenis, cui ex vulnere ventriculus ad duorum pugnorum magnitudinem protuberavit, per quem etiam cibos & excrementa rejecit; Convaluit An. 1634. d. 24. Augusti.

VI.

Cranij fissura cum depressione.

Jo. Merklin/ Jedelhusanus, sarculo ab alio percussus dictum malum patitur: in plura inde incidit symptomata, nec absque periculo decubuit; at, postquam Cranium trepano apertum fuit, ut sanies eo melius effluere potuerit, convaluit Anno 1636. d. 18. Novembr.

VII.

Pes uterque frigoris vi corruptus & amputatus.

Chriſtiani Dohneri ſupra malleolos; primò gangræna, mox ſphacelo prius correptus Anno 1636.

VIII.

Penis ligatura mirè vulneratus.

In Joanne Müller/ puero von Pfnl/ ſeptem annorum; qui, cùm noctu lectum permingeret, & obindè ſubindè increpatus fuiſſet, ad hoc malum intervertendũ, filo ligavit canalem juxta abdomen, cumque illud non ſolviſſet iterum, intra decem dies filum intra cutim & carnem ſic penetravit, ut exigua adhuc particula hæſerit; diſciſſo filo & medicamentis ritè appoſitis brevi rurſus convaluit. Anno 1638. 2. Januar.

IX.

Lapillus ex hæmorrhoidibus.

Tumidis, ſuppuratisque ad nuclei

cera.

cerasorum magnitudinem ater & solidus extractus, in Tobia Neubronnern/ Mercatore Ulmensi.

X.

Sarcoma uteri orificium externum occupans.

Spithamæ longitudine & pugni crassitie Magdalenæ Wolleibiæ intra octo annos tantum adauctum: quod jamjam putredine infectum, hincque resectum, & postmodùm dissectum instar lardi apparebat. Anno 1640. Mense Augusto.

XI.

Partus monstrosus.

Utroque pede in crucis formam divaricato, alteri alterutro annato: alter pes sex digitis, alter contra quatuor solùm instructi videbantur; tum partes genitales, tum anus deerant; dorso vesica sero plena adnata conspiciebatur; Anno 1624. Matthæi Kuhnen/ Sutoris.

XII.

Anus clausa scalpello reserata

Fuit hæc operatio instituta in Joann. Neubronners pannorum tonsoris filiolo recens nato Anno 1640. d. 4. Decembris.

XIII.

Intestini Vulnus

Et quidem crassi sub umbilico; quod feces nec non cibos assumptos reddebat, intra duos tamen menses consolidatum: in Milite Suecico, Isaac Petri, Stockholmiensi, Anno 1641. Mens. Dec.

XIV.

Iliaca Passio

In fœmina ex Bubonocele, quam cœlebs contraxerat; nupta tamen postmodùm quinquies pepererat: Ætatis anno XXIX. modò dictam incurrit passionem, & eadem obiit Anno 1646. die 28. Februarii.

XV.

Spinæ dorsi fractura

Georgii Dauneri Altheimensis, qui A. 1646. d. 10. Sept. de arbore lapsus est, sicque dictam spinam fregit, unde statim corpus infra fracturam insensile & immobile redditum, urina & alvi feces involuntariè imò planè ipso inscio prodierunt, & die 18. post mors etiam subsecuta fuit.

Pari infortunio succubuit Christianus Herold Studiosus, A. 1637. d. 19. Martii, qui ad 25. diem supervixit.

XVI.

Vulnus ad majorem oculi sinistri canthum

Sclopeto minori inflictum post aurem dextram penetrante, in Jacobo Becker/ rustico: curatum & persanatum citra noxam; nisi quod visus oculi sinistri, in quo nil quicquam p. n. apparebat, perierit. A. 1646. d. 19. Augusti.

XVII.

XVII.

Hernia umbilicalis.

In Infante nuper nato, per quam, ipſa inteſtina conſpicere licuit, pugni magnitudine; quarto die moritur: An. 1647. d. 24. Febr.

XVIII.

Aſcites per Umbilicum.

Gangræna corruptum ſolutus in ruſtica; quæ ſupra annum eò decumbebat: abdomenque ad duas & dimid. ulnas turgidum habebat: cùm gangræna, uſu unguenti ſecederet, aqua confeſtim effluxit, intra viginti quatuor horas verò mortem induxit.

XIX.

Veſica disrupta.

Ex caſu ab alto, in ancilla, quæ ex incendio domûs ſeſe ſaltu per feneſtram ſubducere voluit; id quod tam infeliciter ipſi cecidit; vixit à 24. Aprilis ad 2. Junii A. 1648.

XX.

XX.

Urina per Umbilicum.

Reddita cum insigni dolore, subsistenteque interea per ductum ordinarium; à Viro primi senii, qui id per biennium continuavit.

XXI.

Steatoma insignis magnitudinis.

In rustica sub ala sinistta, dependens ex cute velut de filo, instar vesicæ suillæ inflatæ; mediæ magnitudinis: nullum inde dolorem habebat, nisi quod de gravitate conquerebatur.

Aliud in perinæo rustici senis, quod primo intuitu pro scroto habebatur, manum longus tumor; & tres digitos crassus. A. 1645.

XXII.

Vulnus in ipso femoris articulo.

Sclopeto minore rustico inflictum: ita, ut inreger processus ille magnus, seu

caput

caput femoris fuerit exemtum; tabido sensim facto ægroto, & vitam solvente A. 1645.

XXIII.

Cancrosum ulcus totum oculum depascens

In rustica; cui parvum tuberculum palpebræ inferiori adnatum ab inepto herniotomo resectum illud induxerat. A. 1646.

XXIV.

Hypospadiæus

Rusticus; cui Urethræ in glande foramen nullum, sed sub glande & fræno præputii. A. 1646. d. 14. Jun.

XXV.

Vulnera Thoracis

Sclopeto immissa; pone spinam dorsi, & sub costis veris exeuntia, in duobus subjectis Juvenibus observata, feliciterque citra symptomatum notabilium superventum curata.

XXVI.

Femoris fractura cum Vulnere

In Viro, cujus historiam habet Scultetus Observ. Chirurg. 85. Item in Virgine Juvencula, quam idem Auctor ibidem describit Obs. 95. Utique, quod benè adhuc memini, (verba sunt Filii Auctoris, beati mei, qui has Observ. edo, Parentis) supervenit Inflammatio, ob id, quod D. Scultetus ligaturam nimis strictam faciebat; imò in puellæ femore gangrænæ periculum imminebat, nisi Parens superveniens fascias resecasset: cui etiam diu admodùm vulnus apertum fuit, tandemque ad spithamæ longitudinem os femoris fuit extractum, pesq; obindè mirè brevis, ut singulari instrumento ad progressum opus habuerit.

XXVII.

Manus Inflammatio

Ex vitri punctura in vola, tanto cum dolore, ut penè desperarit æger, nec non gangrænæ periculum imminuerit: Fuit Juvenis, servus Rehlingerianus; sedatâ

tamen

tamen inflammatione, & per ſuppurationem dato exitu, brevi poſt convaluit: cujusmodi etiam memini apud fratrem me vidiſſe in ruſtica, quæ fuſo medii digiti internodium primum læſerat? qui digitus factâ inflammatione jam fuſcus evaſerat; reſtitutus tamen.

XXVIII.

Scroti Scirrhus.

In Juvene multis equitationibus dedito: longo tempore protracta fuit curatio, quæ tandem optimè ſucceſſit: fuit Petri Bayers/ Junioris filius.

XXIX.

Abſceſſus ad os ſacrum.

In ruſtica morbo lento diu decumbente? qui apertus novacula inſignem quantitatem puris fundebat; morbo dictam fœminam liberabat, & tandem ritè conſolidabatur: erat tumor albus, latus, nec multùm dolens; verus abſceſſus criſi ad iſtum locum depulſus.

XXX.

Vulnera Capitis

Simplicia in diversis: quorum nullum Parens extra periculum ponebat; sed omnium curam legitimam habebat, ipsisque ægris diætam maximè injungebat; aliquot namque exemplis, præsertim imperitorum edoctus, nullum capitis vulnus esse extra periculum: inprimis Juvenis cujusdam Cerevisiarii, qui leviter ab hero suo in fronte vulneratus nil sinistri patiebatur, at citra omne monitum à barbitonsore tractabatur: sed septimo die febris, convulsiones, tandemque ipsa mors supervenêre.

XXXI.

Vulnera Cranij

Itidem in diversis: ad rimæ deletionem diligenter scalpro radebat: convenientemque curam adhibebat: Trepanum ab ipso admotum vix semel memini, neque tamen ægri periclitabantur.

XXXII.

XXXII.

Vulnera Cranij penetrantia

Itidem diversa, quibus primis diebus cum serico Ol. Hyperic. c. Spir. Vin. vel Balsamum Hispan. ad Menynges imponebat, mox ossi, vulnerique convenientia aptabat medicamenta, brevique sic restituebat.

XXXIII

Fungus ex vulnere cerebri

Quem miles ex disploso & effracto sclopeto contraxerat, in fronte; quotidiè subnascentem, ita, ut, licet forfice decideretur, nihilominùs per noctem rursus succresceret: Vixit hic ad tres, si rectè memini, septimanas: tandem convulsus obiit.

XXXIV.

Contusiones Capitis.

In militibus, qui impenetrabilitatem, uti vocant, artibus diabolicis impetrarunt, postea à rusticis egregiè excepti fuerunt, quorum aliqui in Xenodochio decubuerant: Caput nimirum rasum,

ſum, Ol. Roſac. inunctum, deſuperque Cataplaſma ex repellentibus & diſcutientibus impoſitum, non neglectis medicamentis internis & Venæſectione.

XXXV.

Cutis Frontis ad palmæ magnitudinem ex caſu ſecedens

In Juvene; ſanguine mundata, citra ſuturam tamen, beneficio Emplaſtrorum & naturæ rurſus agglutinata.

XXXVI.

Vulnera ſclopeto inflixa in femore

Supra genu cum oſſis effractione in duobus militibus, quæ ritè tractata quidem, ſed impatientia ægrorum & inordinata victus ratione, ambo intra quatuor hebdomadum ſpatium fuêre letalia.

XXXVII.

Vulnus ſclopeto inflixum Humeri

Ad muſculum Deltoidem intro, & ſupra articulationem Cubiti rurſus exiens, itidem in milite: poſtquam dolori proſpectum, pusque procuratum brevì convaluit.

XXXVIII.

Vulnera in articulo cubiti

Alterum ſclopeto, alterum acinace factum, quibus utrinque fluxus aquoſus, quem Glidwaſſer vocant, ſupervenit, cumque ambobus olecranon perierit, & totum exemtum fuerit, brachium amplius ad extenſionem ineptum fuit redditum.

XXXIX.

Vulnera Metatarſi

Alterum in ruſtico ſclopeto inflictum; alterum telo præacuto, quod fibro capiendo directum erat: cujus extremitas utrinque incurvata lima primo fuit demenda, quo ad extrahendum aptum foret; mirum intra tot oſſium læſiones nulla ſchidia ſeparata fuiſſe; Citra omnem noxam conſolidata fuerunt, poſtquam ex artis præſcripto tractationem ſuſceperunt.

XL.

Vulnera ex ictu fuſorum

Spindelſpitz: quas intro in carne latentes

latentes feliciter expulit adeps leporinus cum pilis leporinis parti adversæ applicitus, ita ut nunquam istiusmodi remedium fefellerit.

XLI.

Mamma resecta

Scrophulis tumida, metumque cancri injiciens, in Matrona honesta, animique præsentis; quæ operatio ritè peracta, locusque affectus intra paucum tempus consolidatus fuit.

XLII.

Sphacelus digitorum pedis

In sene citra præcedentem causam externam: Marcor verò senilis & mors appropinquans istius causa fuerunt: nam apparente hoc, intra biduum fatis concessit.

XLIII.

Sphacelus

Ex neglecta cura aphtharum in Infante, miserum spectaculum: nam & Gingivæ & labia jam planè nigra erant, cum


fœtore intolerabili; qui affectus intra paucos dies vitam ademerunt.

LXIV.

Patellæ fractura.

In DuumViro Dn. Dan. Besserer/ & Georg Braunen/ Ephippiario, Ulmensibus, qui per vitæ reliquum tempus ab initio minùs rectè tractati claudicare sunt coacti: robur enim nullum firmiter pedi insistendi habuerunt, sed pedem semper prorsum versùs inclinare, affirmarunt.

F I N I S.



INDEX


OBSERVATIONUM.

Con-



Spinæ





Mechlin. 1866. 1.

